



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An per Rescriptum speciale derogetur Rescripto generali?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

iple adversus actorem impetrat ad diversos iudices, & vi illarum citari faciat Actorem eodem tempore ad diversa loca, ut si non comparuerit, quasi contumax excommunicetur, & ab agendo sic repellatur, juxta relatam *c. ult.* cum in reconventionem apud eosdem Iudices agi debeat, nisi forte ut suspecti repelli possint &c.

SECTIO VI.

De derogatione, revocatione, & extinctione Rescriptorum.

§. I.

An per Rescriptum speciale derogetur Rescripto generali?

Resp. Si Rescriptum generale nihil aliud concedat, quam quod jure communi concessum est, tunc Rescriptum speciale, continens aliquid, contra vel præter jus commune, derogat rescripto generali, tamen si de eo non fiat mentio *c. 1. h. t.* quia cum Princeps, cujus est juri communi derogare, præsumatur notitiam sufficientem juris communitis habere, consequenter, sicuti juri communi derogare censetur, si contra illud Rescriptum concedit, ita etiam Rescripto tali generali, jus commune, continenti, derogare per speciale Rescriptum censetur, si contra jus commune contineat aliquid, etiam si nullam hujus mentionem faciat. Quin imò, quia absolute mandatum speciale derogat generali juxta relatam *c. 1.* & generi per speciem absolute derogatur, juxta *reg. 34. in 6.* etiam si per Rescriptum generale concederetur aliquid, ultra jus commune, ut sæpius v. g. appellari possit, quam de jure concessum est &c. adhuc tamen per spe-

ciale mandatum sive Rescriptum derogaretur generali, quamvis in posteriore speciali nulla illius mentio facta fuisset *c. dudum 14. §. nos igitur de prebend. in 6.* Cum Princeps alicui Privilegium concedens semper sibi potestatem reservasse censetur, exigente necessitate, vel utilitate, generali illi concessionem, per speciale Rescriptum derogandi, vel limitandi illud, si scilicet per generale Rescriptum, non sit alicui, quoad omnem speciem contentam, jam acquisitum jus in re (cum nolit Princeps huic præjudicium facere circa tale jus in re, nisi specialem mentionem faciat, juxta hodiernas etiam regulas Cancellariæ) & si speciale Rescriptum posterius, alteri in terminis quidem generali in effectu tamen speciali non sit directe oppositum; in hoc enim casu Rescriptum posterius, non derogat generali priori, nisi specialis hujus mentio fiat *c. ex parte 12. de off. deleg. juncta Gloss. V. non obstantibus, & Gloss. in c. V. mandatum h. t.* quia censetur in tali casu priorum litterarum non fuisse memorem Pontifex. Quod autem hætenus de Rescripto speciali, derogante Rescripto generali prius concessio dictum est, multò magis dici debet de Rescripto generali, post speciale jam impetratum, concessio, quod nempe huic posteriori generali deroget etiam Rescriptum speciale prius concessum, vel potius, quod per Rescriptum speciale prius concessum, hoc posterius generale limitetur, & restringatur, nisi de speciali expressa mentio fiat. Sumitur *ex c. Abbatem 40. juncta Gloss. V. per litteras generales h. t.* quia in toto jure generi per speciem derogatur, *reg. jur. 80. ff. si species præcedat, si subsequatur.*

§. II.